



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Tractatus De Magis, Veneficis Et Lamiis, Deque His Recte Cognoscendis Et Pveniendis

Propter Varias & controversas de hac quaestione hominum sententias,
vtilissimus & cunctis ad Rerumpublicarum gubernacula sedentibus
maxime necessarius ... in tres libros distributus

Gödelmann, Johann Georg

Francofurti, 1591

VD16 G 2487

Capvt IX. De Sortiarijs & Sortilegis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61507)

*Securus omnem fer violentiam
 Sortisq; mortisque, & terrificas minas
 Contemne, securus tumultum
 Despicias creperi duelli:
 E fraude caeca te Deus eximet,
 Frangetque casses insidiantium.
 Nec sauiens late venenum
 Lethiferae patiere pestis.
 Expandet alas te super, & suis
 Pennis fouebit rebus in asperis:
 Certusq; promissa salutis
 Sub clypei latitabis umbra.
 Nec te, nec ades, vis propius tuas
 Nec damna tangent: Nam Deus angelos
 Custodiae tuae salutis
 Praeficiet, vigilesq; ad omnes
 Motus, viarum qui referent moras:
 Qui per salebras te manibus ferant.
 Nec saucietur pes recussus
 Obijcibus scopulorum acutis,
 Securus atras inter & aspides
 Deges &c.*

CAPVT IX.

DE SORTIARIIS.

Summae.

- 1 Discrimen inter Magos & Sortilegos.
- 2 Duae sunt pactiones cum Satana, secundum veteres Theologos.
- 3 Augures & Chiromantici non sunt Magi.

4 Def-

4. Definitio Sortilegi iuxta Isidorum.
5. Sortilegus largè pro Mago accipitur.
6. Definitio vera Sortilegi vel Sortiarij.
7. Sortiendi genus triplèx.
8. Diuinum Sortiendi genus.
9. Consilium Procerum Lithuaniae tempore electionis Polonica Anno 87. post mortem Regis Stephani.
10. Sortium vsus concessus.
11. Politicum sortiendi genus.
12. Diuinatorium sortiendi genus.
13. Quid sit Astragalomantia.
14. Quid Stichiomantia.
15. Impostores vagabundi cum olla fortunata non ferendi.
16. Chiromantici qui sunt?
17. Chiromantiam quidam inter Physicorum genera collocant.
18. Mathematici & Genethliaci qui dicantur.
19. Motus positusq; Syderum cognoscere, studium est liberale.
20. Verba Regis David.
21. Astrologicas pradictiones extendere ad casus fortuitos, deliberationes & actiones humanas superstitiosum est.
22. Religiones & miracula diuina ex astris deriuare vanissimum est.
23. Ornimantici qui dicantur.
24. Auguria apud veteres in vsu.
25. Constantinus & Iulianus Imp. omnem diuinandi curiositatem prohibuerunt.
26. Obseruationes auium Physicæ.
27. Obseruationes auium superstitiosæ.
28. Chronomantici qui sunt.
29. Duplex temporum obseruatio, Physica, & superstitiosa.
30. Superstitiones variæ enumerantur.

Hactc.

1 **H**actenus de Magis diximus, qui in im-
 pijs eorum actionibus, malignorum spirituum in-
 uocationem adhibent. Nunc de Sortiarijs siue de
 Sortilegis videamus, hoc est, de ijs, qui absque in-
 uocatione Dæmonum superstitiosis quibusdam
2 obseruationibus adhærent. Veteres quidem Theologi Aquinas,
 Durandus, & alij, duas esse pactiones cum Satana docent,
 Vnam expressam, quam faciunt Necromantici & Magi illi, qui
 adorant ipsum: alteram tacitam siue implicitam, qua tenentur
3 omnes Idolatræ, & quicunq; scientes hærent superstitiosis ob-
 seruationibus. Hæc illorum definitio. At certum est, cum, qui
 ex volatu auium successum sui itineris cupit cognoscere, vt reli-
 giosè veteres factitârunt, vel qui ex lineamentis personæ & mē-
 brorum diuinant & futura prædicant, vt Chiromantici, Magos
 dici non posse, neque expressam tacitamue cum Satana conuē-
 tionem iniuisse. Isidorus lib. 8. Etymol. Sortilegos ita definit:
4 Sortilegi sunt, qui sub nomine fictæ religionis, per quasdam,
 quas Sanctorum & Apostolorum vocant sortes, diuinationis
 scientiam pollicentur, aut quarumcunque scripturarum inspe-
 ctione futura promittunt. c. Sortilegi, 26. quæst. 1. & 2. Atque
5 ita Sortilegi strictè sumpto vocabulo definiuntur: Largè Sorti-
 legos siue Sortianos pro Magis plurimi accipiunt, prout nota-
6 uit Paulus Gullandus de Sortilegijs. quæst. 1. num. 2. & 3. Ego
 Sortilegos vel Sortianos ita definio: Sortilegi sunt, qui in acti-
 onibus illicitis diuinatoria sorte vtuntur, & superstitiosis obser-
 uationibus naturali causâ vacantibus adhærent. Dixi, diuina-
7 toria sorte vti. Est enim triplex sortiendi genus: Diuinum, Po-
 liticum, & Diuinatorium. Diuinum voco cuius in sacris histo-
8 rijs fit mentio. Sorte deprehensus est Achan sacrilegus Ios. 7.
 Sorte electus est in Regem Sauli filius Cis. 1. Sam. 10. Sorte ele-
9 ctus est Mathias Apostolus. Act. 1. Post mortem Regis Poloniae,
 Stepha-

Stephani I. cum Regni ordinibus tres candidati siue Reges in comitijs VVarfauiensibus Anno M.D. LXXXVII. celebratis, Serenissimus Archidux Austriae Maximilianus, Electus postea Poloniae Rex, Sigismundus Sueciae Regis filius, & Theodorus Moschorum Imperator essent commendati, & Lithuani cum Polonis super Electione amicè conuenire non possent, praecipui Lithuanorum Proceres (*inter quos primas tenet Illustrissimus Princeps D.D. Christophorus Radziuil, Dux in Olica & Nisvrietz, Palatinus Vlnensis, Dominus meus Clementissimus, qui me summa cum humanitate, in causa Senatus populiq; Rigensis perorantem cum adiunctis Legatis clementer audiuit*) sorte potius, praemissa inuocatione Dei, iuxta exemplum scripturae, vnum ex his eligendum censuerunt. Non aduersatur aut repugnat authoritati sacrarum literarum vsus legitimus huius consuetudinis sortiendi. Approbant enim illae non abrogant constitutiones has ex insitis nobis notionibus deriuatas, rationi consonas & huic coniunctioni tuendae accommodatas, qua inter se sociati copulatiq; viuunt homines. Hinc Prouerb. cap. 18. vers. 18. Contradictiones comprimit fors, & inter potentes quoque dijudicat, & Prouer. cap. 16. vers. 32. Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur. Politicum est, cuius vsus est in haereditatibus & bonis communibus diuidendis. l. 2. C. quando & quibus 4. pars lib. 10. Vel vbi plures, quibus optio est relicta, discordes sunt in eligendo, tunc sorte res dirimitur. l. 3. C. de legatis. Item si dubitatur qui nam priores causam dicere debeant. l. 14. D. de iudicijs, si de seruis manumittendis, aut de liberis diuidendis quaestio sit. Olim quoq; sortitione dabantur iudices. Contrà, episcopus sortibus eligi prohibetur. l. 47. C. de Episcopis. His adde Mynsinger. 4. obseruat. 37. vbi quaerit. Quomodo diuisio inter fratres sit facienda, an sorte? Diuinatorium consistit in inuestigatione rerum futurarum, fortunae aut infortunij, & fit iactu inspectione librorum & quarumcunque scripturarum & exto-

Q

rum

rum inspectione. Huius author extitit Numerius Prænestinus, is cum somnijs crebris ad extremum etiam minitantibus iussus esset certo in loco silicem cadere, perterritus visis, id agere cepit. Perfracto saxo mox sortes eruperunt, in robore insculptæ prisca literarum notæ. Vide Peucerum de fortibus. Et Szedeginum de Magia. Hoc diuinandi genus habet sub se multas
 13 species, inter quas præcipuè hæ sunt: Astragalomanthia, quæ per talorum iactus fit, & ex numero oblato sumitur, cum de re numerata, veluti de numero maritorum, vxorum, liberorum, villarum & aliarum rerum quæritur: aut cum numerus iactus comparatur elogio. Libri enim eiusmodi elogiorum sunt omnibus de rebus & negotijs, ex quibus cuilibet assignatus est suus & situs taxillorum, & numerus quomodocunq; cadentium, qui cui elogio respondere deprehenduntur, id vaticinium ac responsum ad quæstionem propositam esse demonstrât. Tales libros etiamnum cum figuris & numeris alearum excuscs, Galli plerunq; animi causa habent. Orta prorsus fuit hæc diuinationis superstitio à Pythagoreis, vt & Arythmantia, elementis illi literarum certos tribuebant numeros, numeris vim occulti fururiq; præfagam. Vide Archid. in c. accusatus §. sanè, de hæreditat. libr. 6. & de sortileg. 2. & 3. quæstionibus. Hostien. & Ray. in summa, eodem titulo & S. Thom. 2. quæstio. 95. in tit.
 14 de Supersti. versic. ad quartum dicendum. Iam ad Stychiomantiam, quæ repentino in librum apertum oculorum intuitu, ex sententiæ versusque ad quæst. facientis occursum sumitur, modò ad numerum iactarum alearum, modò sine eo. Et quoniam Poëmata pro vaticinijs, vt poëtæ pro vatibus habebantur, in ijs potissimum exercebatur. Hinc & in publicis causis Sibyllina carmina ita obseruabatur, & inter priuatos Græcos Homerica, Latinos verò Vergiliana. Adriano Imperatori dubitanti de animo ac amore Traiani erga se, sortes hæ Vergilianæ obuenerunt ex 6. Aeneid.

Quis

*Quis procul ille autem ramis insignis oliuae
Sacraferens? noscocrines, incanoq; menta
Regis Romani —*

Post adoptatus à Traiano, successit ei in imperio Romano. Claudius secundus Aureliani Imperatoris prædecessor, inquirens de posteritate sua, incidit in illud li. 1. Aeneid.

His ego nec metas rerum, nec tempora pono. Genus eius per longam posteritatem stetit. Reliquas species ordine enumerat Peucerus de Sortibus & Bodinus lib. 1. cap. 6. Huc pertinent impostores illi vagabūdi cum olla fortunata, *Mit dem Glücks topff* / qui homines saltem decipiunt. Addidi quoq; in definitione Sortiarios superstitiosis quibusdam obseruationibus adherere. Huc pertinent primo Chiromantici, qui ex lineamentis personæ & membrorum diuinant & futura prædicunt. Quidam inter diuinationum Physicarum genera Chiromantiam collocant, quatenus nimirum intra Physicas versatur metas. Vide Peucerum in Chiromantia in fine. Secundò Mathematici siue Genethliaci, qui Mathematicorum liberali nomine adumbrantes ineptias suas profitentur, se fata cuiusq; nosse, & natalitias siderum obseruationes, vt Iacobus Cuiacius in Paratit. C. de Malef. & Mathemat. notauit. Vel qui mercimoniorum & itinerum lucra, hominum dignitates, status, aut liberos nascituros, actionum successus felices & infelices, ingenij tarditatem, aut dotes, & reliqua huiusmodi nobis imminetia ex stellarum situ, concursu, aspectu, & inter se retrogradatione vel coniunctione prædicunt: Vel rerum publicarum & regnorum euerfiones, mutationes, aut de familia in familiam migrationes, & translationes eodem modo, si Deo placet, diuinant, vt Lambertus Danæus in sua Physica christiana, Tract. 4. cap. 36. contra Astrologos iudiciarios scribit, vbi firmissimis sacrę scripturæ testimonijs, alijsq; rationibus Astrologorum argumenta solidè refutat.

Q 2

Quam-

19 Quamuis enim motus positusque siderum cognoscere & inquirere, studium sit imprimis liberale, tum vt temporum interualla & vicissitudines cognoscatur, sine qua cognitione maximæ essent tenebræ, tum vt contemplantes vasta illa & varia astrorum corpora tanta celeritate tam diuerso motu congruentissima symmetria, per immensa temporum spacia decurrere, illud certò apud nos statuamus, quod in Pimandro inde colligit Mercurius Trismegistus, vnum esse omnium conditorem, qui
 20 ordinem vnum in tam multis & varijs conseruet. Ideoq; Psaltes laudato DEO istarum rerum inferiorum nomine, cum ad vim astrorum annotandam venit, extra se raptus exclamat in hanc formam:

Psalm, 8.

*Suspiciens oculis tua celsa palatia caelos,
 Artifices digiti quos peperere tui.
 Lucentemque globum, Lunæ Titaniaque astra
 Quæ doctæ Domini constituere manus.
 Ecquid homo es, dico attonitus quem mente reuisas
 Sollicita, cuius te meminisse iuuat.*

De Elementorum quoq; & corporum inferiorum constitutione aliquid conijciamus, quandoquidem elementaris mundus lationibus superiorum est contiguus, & virtus eius in
 21 de, vt ait Aristoteles, gubernetur. Vterius tamen Astrologicas prædictiones extendere ad casus nempe fortuitos, deliberationes & actiones humanas, earumq; euentus, & humanæ vitæ, ciuitatum etiam ac regnorum fata, non potest non esse vanum, & à summis Philosophis Platone & Aristotele ipso, eorum de his rebus silentio satis improbatum, & ab Eudoxo, Carneade, Plotino, ab Origene etiam, Basilio, Ambrosio & Augustino
 22 prolixè & ex professo confutatum. Vanissimum verò & cum dedignatione irridendum, vt ad Ianuarium inquit Augustin. quàm religiones & diuina etiam miracula ex astris deriuare conantur,

nantur, vtpote, cum Mosaicam legē Marti, Euangelium Mercurio, Paganismum Ioui, Mahometismum Veneri, assignant, & Dei erga nos propitiationem non verentur astris ferre acceptum, prout Abraham Auenezra, si Iuppiter, inquit, fortis, tertiam domum aspexerit, natus Deum diligit, & ab eodem diligitur. Qui Deo supplicauerit, inquit Albumazar, hora, qua Luna cum capite Draconis Ioui coniungitur, impetrat quicquid petierit. Saturnus inquit, Maternus, in Leone constitutus facit longauos, quorum anima post mortem ad caelos transibit. Aliaque id genus deliramenta alij, verè (vt ait Hieronymus) Aegypti opprobria. Tertiò Ornimantici auium obseruatores. 23
 Celebratissimæ maximèq; dignationis semper fuere oracula, 24
 extispicia, auguria: adeò, vt his totam Romanorum Rempub. tantum non contineri Cicero existimauerit. Romani, inquit, solennes & statas ceremonias Pontificatu, rerum agendarum authoritates augurio, fatorum seriem prædictione Apollinis vatumque libris, portentorum depulsa & explanationes Hetrusca disciplina explicari voluerunt. Postea verò elucescente Eu- 25
 angelio hæc omnia euanuerunt, atque in magnam infamiam obierunt, vsque adeò vt Constantinus earum artium administris nullius domum patere grauissimis pœnis sanciuerit, quòdque magis miremur, Iulianus etiam, qui postea vsque ad infamiam his rebus deditus fuit, omnem diuinandi curiositatem perpetuò silere, & non, vt olim Cato, villicostantum, sed oēs in vniuersum, aruspicum, mathematicum, ariolum, Chaldaum, ac Magum consulere vetuerit. Ergò, vt præclare ait Ambrosius, futura ab istis scire & inuile est quærentibus, & impossibile pollicentibus. Postea breuissimi temporis lapsus facit, vt à tota coniectura sua isti longissimè aberrant. Porro obseruati- 26
 ones ex auibus variæ sunt: Aliæ sunt Physicæ, vt grues, in silentio per sublime volantes, serenitatem nunciât. Corui singultu quodam latrantes, seque concutientes, si continuant, ventos,

si verò carptim vocem resorbent, ventosum imbrem : Graculi serò à pabulis recedentes hyemem, & albæ aues, cum congregantur, & cum terrestres aues cōtra aquam clangores dant, perfundentes sese, sed maximè cornix : Hirundo tam iuxta aquam volitans, vt eam stringat aut percutiat penna : Anseres continuo clangore intempestiui : Ardea in medijs arenis tristis : Pecora exultantia & indecora lasciuia ludentia : Boues cœlum olfactantes, seq; lambentes contra pilum : Turpes porci alienos sibi manipulos fœni lacerantes : segniter & contra industriam suam absconditæ formicæ, vel concursantes, vel oua progerentes : Vermes terreni erumpentes, eandem tempestatum significationem habent. ²⁷ Aliæ superstitiosæ, vt, obseruare volatus aut garritus auium iuxta disciplinam gentium, vt qui noctuarum aut bubonum nocturnos clamores, mortem alicuius vicini præfagire credunt. Bubonis vox audita anno vrbs DCXIX. & sequenti, exercitus Romani oppressionem ad Numantiam portendisse credita est. Rursus visus non auditus bubo, felix omen attulisse, iudicatus est aliquoties. Noctua si volasset, victoriam nunciare, si sereno cecinisset, turbare aërem : si tempestate occineret, serenare obseruatum est. Hæc cum in hasta Pyrrhi Regis, contra Argos euntis confedisset, fatum illi, & discrimen extremum portendit & attulit. Ante Pharsalicam pugnam apes aræ insidentes, & in nauibus conspectæ Dioni & Pompeio Magno, cladem paulò post secutam prænotârunt. Idcirco cum in Bruti exercitu examen apum procubisset, Haruspices castra mutare eum iusserunt, ne in hoc loco damni aliquid, & detrimenti acciperet. Hirundinum circumuolutiones decubitu sue, infausti habiti. Præposteros aut vespertinos gallorum cantus optimi euentus signa aliqui notauère. Gallinarum cantus nunquam exauditi, nisi quando dirum aliquid immineret. Corui inauspicatæ garrulitatis aues, à dextra, vt coruices à sinistra

fra spes non ambiguas : si ab ortu occinerent clara voce præsentem felicitatem significabant. Ab occasu, vel læua, si proclamarent, aut glutirent vocem, velut strangulati, exitium apportabant. Corui discerptos deuorantes pullos, reliquiasque deferentes in nidum, ante ciuile bellum inter Syllam & Marium, visi, & crudelitatem, qua in sua illi sæuierunt viscera, portendisse iudicati sunt. Leporem aut vulpem, vel prægnantem canem obuissè, aut serpentem commeantium iter interrupisse, aut procidisse, aut offendisse pedibus, aut subito constitisse aut expauisse vel defecisse viribus absque manifesta causa, aut spectra conspexisse, vel circumfusas ac scintillantes flammæ, aut risus, gemitus, compellationem sui exaudiuisse, & quicquid fuit huiusmodi, infortunata prælagire & infesta itinera, 28 creditum est. Vltimò Chronomantici, id est, obseruatores 29 temporum superstitiosi. Est autem duplex temporum obseruatio: Alia est Physica, quæ ex ipsis sideribus ipso naturæ ordine quodammodo pendet, quale est proximæ pluuiæ aut serenitatis: tempestatis, aut tranquillitatis: frigoris, aut æstatis iudicium. Hinc Saluator Matth. 16. & Lucæ 12. vers. 54. Quando est serenum diei, dicitis, serenas erit, rubet enim cœlum. Et mane. Hodie erit tempestas, rubet enim cœlum triste. Item. Quam videritis nubem exorientem ab occasu, statim dicitis Imber erit, & ita fit, & quum Austrum flantem, dicitis, Aestus erit, & fit æstus. Sic Elias ex nube ex oriente mare versus, pluuiam fore naturaliter prædicit, 1. Regum. 18. vers. 43. Obseruauit enim omnis ætas quosdam ceu decretorios dies, indices præcipuarum anni tempestatum & fœcunditatis aut sterilitatis, non temerè aut fortuitò, nec superstitiosè, sed quòd congruere significata deprehensum esset, etsi causas non intellexit, quas constat cœlo deriuari plerasque. Vsitatum est colonis prædicere tot tempestates, pluuias æstate oborituras,

quot

quot dierum in Martio nebulosa fuerit constitutio, totq; Pascha consecuturas pruinas, & Augusto Mense effumaturas nebulas, quot noctibus Martius irrorarit. Ita ex aëris constitutione, quæ incidit in diem Medardi, vel circiter, de tota messis tēpestare: Ex ea, quæ Urbani die contingit, de vindemia coniecturas faciunt, quæ etsi non exactè semper cum euectu congruunt, rarò tamen prorsus aberrant. Eius generis quoq; sunt his versibus comprehensa prædicta:

*Clara dies Pauli bona tempora denotat anni,
Si fuerint venti, designat prælia genti:
Si fuerint nebulae, pereunt animalia quæque
Si nix, si pluuia: designant tempora cara.*

Tales superstitiosi versus, sunt hi quoq;:
*Vincenti festo si sol radiet memor esto,
Para tuas cuppas quia multas colligis vuas.*

Hæc enim non possunt subsistere vt Martinus de Arles doctiss. Theologus in tractatu de superstitionibus dicit. Nam quod illa die sint nebulae vel venti per accidēs, id est, quod plures sint vindemiae illo anno vel animalia pereant, vel prælia contingant, accidit non à tali die festo sed potius à voluntate diuina. Nam sæpè contrarium videmus esse certius. Arborem ad ædificandã putatores non cædunt plena, sed decedente Luna, alioqui lignum ædificijs foret inutile. Eodem tempore inseritur, plantarumque radicibus accumulatur, grana & legumina vanno excutiuntur declinante Luna, aliæque obseruationes innumeræ
30 à veteribus fuerunt annotatæ, quas videre est apud Plinium lib 18. cap 32. Alia est Superstitiosa, quæ non habet causam in natura, sed humana superstitione ex cogitata est, & Satanae præstigijs confirmata, qualis est obseruatio dierum Aegyptiacorum. Sunt enim qui dicunt, in quolibet mense duos esse dies, quos ægros & Aegyptiacos vocant, in quibus infaustum sit quicquam

quam operis inchoare s. 26. quæst. 7. non obseruetis. De his & similibus, vide Volaterranum. Alij obseruant tempus iucundi coniugij, induendæ nouæ vestis, amandandi nuncij, & aliarum id genus rerum. Huiusmodi superstitionæ obseruationes sunt prohibitæ. His affines sunt, vulgares superstitiones, quibus vulgus vti consuevit, vt sunt, dirum esse, si quis manè calceum perperam, ac sinistrum pro dextro indueret, vt Cæsar etiam Augustus iudicabat. Infelicem consiliorum euentum esse eo die, quo nobis præsentibus sal in mensa effundatur. Infaustum esse, ceruum transire à dextris, vulpem à sinistris. Infaustum esse, lapidem aut puerum aut foeminam mediam interuenire. Calcare limen cùm ante domum tuam transis. Redire ad lectum, dum si quis se calceat, sternutauerit. Redire ad domum si quis procidens offenderit, vel si vestis à soricibus roditur. De his lege August. lib. 1. de doctr. Christ.

& c. illud. 26. quæst. 2. & c. Non
obseruetis 26. q. 7. & c.



R CAN-